

Biogr.erud.D.

158

171
ELEGIA,

Quæ

VENERANDAS EXUVIAS

VIRI

Magnifici, Amplissimi, Excellentissimi, atque Consultissimi,

**DN. ADRIANI
STEGGERI,**

JCti Consummatissimi,

Reip. Lipsiensis Consul meritissimi,

Senatorii Ordinis Senioris prudentissimi,

Tribunalis Scabinorum Electoris Assessoris gravissimi,

Templique ad D. Thomæ Præpositi fidissimi,

Viri de Lipsiensi Rep. immortaliter meriti,

CUM

ILLÆ POST BEATUM EJUS OBITUM

Die XXVI. Augusti Anno MDCC.

SOLENNIBUS CEREMONIIS

EFFERRENTUR,

Ea qua decet pietate profequitur

SCHOLA SENATORIA NICOLAITANA

interprete

M. LUDOVICO CHRISTIANO CRELLIO,

Theol. Bacc. Fac. Phil. Assess. Min. PP. Coll. & Scholæ Nic. Rectore.

L I P S I Æ,

Ex officina FLEISCHERIANA.



R go Parca rapax & ineluctabile Fatum
Funeribus pergit Te cumulare suis,
Lipsia! An omne sacrum mors importuna profanat?
Omnibus immodicas injicit illa manus?
Non satis est damni, quod adhuc Ecclesia sentit,
Ante annum summis bis viduata Viris!
Curia & in medio mundi Patriæque dolore,
Mortibus heu nimis debilitata dolet.
Crescit ei luctus, quantum ipsa pericula crescunt,
Solamenque illi subtrahit omne pavor.
Tristi nunc animo crebris cumulata recurrunt
Atra Senatorum funera funeribus.
Carpzovl ante annum functi dolor urget eandem,
Cum vix inveniat Lipsia nostra parem:
Quique Camœnarum columen sublime piarum,
Qui columen patriæ curiæ & ara fuit.
Nuper & extinctos Bosios, par nobile fratrum,
Luget, queis similes tempora quando ferent?
Quos summis, propter commercia, fama per orbem
Laudibus, obque fidem Lipsia nostra, colit.
At nunc tantorum pondus cumulusque malorum
Accedis, patriæ rapte, Stegere, Tuæ.
O decus, o nostris columen tutelaque rebus,
O Vir, non ipsa Lipsidis urbe minor.
Attoniti torpent omnes civesque Patresque,
Tristis & in mediis plangit Elister aquis.
Urbem Tu longo juvisti tempore nostram,
Consilio felix, officioque bonus.
Longa Tibi placidos ætas cumulaverat annos,
Duxerat & vitæ fila beata Tuæ.
Major eras cunctis & longo grandior ævo,
Nec, Vir magne, fide, nec gravitate minor.
Tanta fuit virtus, tot & experientia rerum,
Crescere vix annis posset ut illa novis.
Quicquid erant Musæ, quicquid prudentia quondam,
Unum Te nobis usque fuisse patet.
Integritas & cana fides Tibi propria cura:
Inde fuit studiis ultima meta Themis.
Mira Tui quondam cui non affabilis oris
Gratia, vel cui non illa benigna fuit?
Quid gravitas morum? quid tam concinna venustas?
Quam potuit multis hæc placuisse Viris?

Prin-

Principibus potuit summis placuisse; Tuisque
Civibus ante alios commoda multa dedit.
Inprimis nostro vix vestigabilis ævo
Quam pietas curæ, quam Tibi cara fuit!
In Te nuda ejus simplexque effulsit imago,
In Te sancta fides nil nisi vita fuit.
Inter tot curasque catenatosque labores
Quotidie sacris hora dicata manet.
Nec satis est, Venerande Senex; das ipse libellos,
Qui numen doceant esse, colique velint.
Inde diu Consul fasces moderantibus unum
Oraclum, curis dulce levamen eras.
Quanta Tibi hic, Vir sancte, fides, quæ cura Senatus?
Quam per Te incolumis, quam sacer Ordo tuit?
Quam Tibi triste fuit, turbas vidisse, Patrumve
Non una hoc anno funera mœsta sequi!
O quam sæpe Tibi vox hæc, morientibus illis,
Excidit: Ah potius nunc ego funus ero.
Ut vicina sibi meditatur funera Cygnus,
Sic cantator eras funeris ipse Tui.
Audiit has nuper voces Libitina, furensque
Tu Fris! funus cum sequereris, ait:
Istud, crede, Tibi volat irrevocabile verbum:
Quodque est in votis: Mox mihi funus eris.
Protinus immisitque malum: Tremor occupat artus,
Nec facit officium pesque manusque suum.
Ipsa Tuo titubant male sustentata bacillo
Membra, per infirmos mox ruitura pedes.
Progredieris: sive istud erat sine funere ferri,
Alterutrumque pedem cymba Charontis habet.
At miserata Tui divina Astræa doloris,
Absit, ait, Nunquam Tu mihi funus eris:
Teque suo, ductum de funere, texit Apylo;
Curia, cui præeras, asseruitque sibi.
Pluribus inde Tuos animo meditata labores
Et vires, juvit consuluitque bene.
Cumque Tibi sciret tradendos, Optime, fasces,
Hoc anno ut gereres curiæ & urbis onus:
Nolo, ait, in turbis per tot discrimina rerum
Ulterius mentem Te cruciare Tuam.
Quin satis annorum, satis est durique laboris,
Quin famæ & vitæ jam satis esse potest.

Ergo

Ergo meas mecum sedes, mea sidera, missis
 Humanis rebus, me duce, tuta petes:
 Solum ubi vera quies, ubi nil Libitina valebit,
 Atque ubi Te dudum præmia digna manent.
 Factum est. Tantisper secesit funere Noſter,
 Atque die dixit, triste, ſequente, Vale.
 Poſthæc divinis intentus mente, caduca,
 Æternus jamjam, poſt ſua terga jactit;
 Eripiturque ſuis. Non mortem dixeris illam,
 Nullus ubi morbus, nec Libitina furit.
 Scilicet hoc vitam eſt divina ſorte miſellam
 Mutare, hæc pretio mors redimenda foret!
 Splendoris, vitæque ſatur, quod vivere poſſet,
 Non habet; haut ultra, quod velit ipſe, fuit.
 Non vixit ſine honore, ſuo pede curia trita eſt,
 Parsque Senatorum prima Stegerus erat.
 Linqvit honoratos, quos offert Lipſia, falces:
 Et ſe nunc aſtris ingerit ipſe ſuis.
 Quam placide corpus poſuit: quaſſataque membra,
 Quam mens prompta, Deo, & læta, vocante fuit!
 Magno animo occubuit, vultuque & pectore forti,
 Socratica major mors ea morte fuit.
 Nec tamen occubuit; jam portant ſidera Noſtrum,
 Sidereaque DEUS ducit eum ipſe via.
 Lætus, io, lætus de trifti morte triumphat,
 Cumque minis fruſtra eſt nunc Libitina ſuis.
 Sed cives orbi, ſed curia mœſta, Patresque,
 Contendunt lacrymis hunc doluiſſe piis.
 Et Schola noſtra, Patrum tantis commota querelis,
 Hoc funus tanquam propria damna dolet.
 Quodque poteſt ſolum, lacrymis nunc diſfluit: ore
 Querquera de madido Nænia trifti gemit.
 Quod tamen hoc placuit Superis, pia corda dolore
 Abſtinet, adque pias confugit inde preces:
 Summe DEUS, nam nil ſupereſt niſi vota precesque,
 Da votis noſtris da precibusque locum!
 Parce Scholæ Patribus: ſtet per Te curia firma:
 In laudes porro creſcat & illa Tuas!
 Redde viros patriæ juſtos: ſit curia ſalva!
 Servate hanc nobis o pia Fata domum!
 Nexibus inde ſuis conjuncta Eccleſia conſtet:
 Atque piæ pubes floreat uſque Scholæ.

† * †

